

Moravia seu Marauanæ nomen à Marauia flu. qui eam perfluit regionem, deducitur. Multis tamen Marcher potius quàm Merhern dicendi putantur: idque à Marcomannis Sueuorum populis, quorum quidem sententiam haud immeritò amplectimur, ij enim indubiè Morauiam tenuerunt, & postmodum etiam Bohemiam eiectis Boijs inde olim etiam Marcomanniam appellatam fuisse regionem hanc, in Bohemica sua historia testatur Ioannes Dabruuius. Non exiguam etiam Marauanæ Silesiæque patrem Quados tenuisse constat, iuxta Lunam syluam. Marauaniam præterea quæ ad Istrum declinat, putantur coluisse Os, quorum Tacitus meminit. Arrianus in Germanorum historia sua ad hunc modum scribit: Harum gentium extremi sunt Quadi & Marcomanni, post hos Iaziges Sarmatarum gens, hos sequuntur Getæ, eos autem magna Sarmatarum, hoc est, Tartarorum ac Polonorum pars. Sufficiat tamen vel hæc sola ratio quòd antiqua Marcomannorum sedes fuerit, nimirum quòd iuxta Hanam flauium sæpius ab agricolis inter arandum inuenta fuerint numismata veterum Romanorum Imperatorum, inter ceteros autem M. Antonini, quem plurimæ testantur historiæ gentem hanc debellasse. moneta autem erat, ex hoste spoliū, cum hac inscriptione DE M A R C O M A N N I S. Sunt etiam qui ex vocabuli etymo conijciant, deinceps Marcomannos eam Germaniæ prouinciā occupasse, quæ vulgò die Marck appellatur, seu Marchia Brandenburgenfis vltra Albim, versus Oceanum, cultores enim eius die Mercker, hoc est, Marcomanni quasi Marckmänner dicuntur. Creditur etiam Marcomanni à limite nomen sortiri, quem nos Marck vocamus. Non desunt qui ab equis nomen adeptos Marcomannos tradant, sicut Marschalcum equitum præfectum, Marstallerū equorum stabuli magistrum appellamus: siquidem Marea & Merhen nostrate lingua equum & equam significat, vnde Merhenland, interpretantur equarum regionem, probabilior tamen prior est ratio. Regni titulo olim hæc regio decorabatur, cuius Rex vicinis Bohemorum Polonorumque ducibus imperabat: nunc verò multò inferiori fortuna contenta, suis deinceps aliquamdiu ducibus, postmodum Marchionibus paruit, nunc distracta: eius tamen potior pars, ac penè tota Bohemiæ Regibus parit. Reliqua pars alijs Primoribus ac Baronibus subest. Gentis caput ac Marchionis sedes est Brin, Eburum, Olomontium Episcopalis sedes est, Volagradensis prius dicta. Urbibus præter has plurimis, domibus, mœnibus, turribus, & id genus ædificijs clarissimis abundat: cuiusmodi sunt Zvoijma, Radisch, Iglauia, Noua ciuitas, Mons Nicolai, VVeiskirchen Cremser, Coserlitz olim Marchionum sedes, & complures aliæ quarum nomina charta chorographica declarabit. Incolarum lingua est Sclauonica seu Bohemica, & Teutonica, mirum in modum commixta atque confusa. Aer loci mollior, atque ob id corruptioni magis obnoxius dicitur. Prouincia est vt populosa, ita frumenti ferax, pisculenta & nem. orosa. Vinetis quoque abundat maximè vbi in Orientem vergit, quod inde abundè in Silesiam Bohemiamque exportatur. Eius etiam campi præter necessariarum rerum mirificam fertilitatem vbertatemque croci etiam optimi plurimum proferunt. Sudetæ montes iuxta Iglam urbem minæris quoque fœci habentur. Regio quàm Bohemia minus montosa, non tamen prorsus plana. Ponit hoc loco Ptolomæus Orcynum nemus Sudetam ac Gabrettam syluas. Flumina habet non pauca, quorum quatuor sunt præcipua Moraua seu Marauaha, amnis piscosissimus, vulgò die Marhe qui regioni nomen dicitur indidisse, seu quod potius crediderim à regione sumpsisse sibi nomen: lambit mœnia Olomuntij, & regiunculam Austriæ Marckfeldensem, Suartzaha Brinnam præterlabitur, & Theyè miscetur. Theya vel Deins, qui nonnullis etiam Thisa vocatur, Zvoijman præterfluit, & limitem Marauanæ ac Austriæ statuit. Iglæ, à quo Iglauia vrbs nomen sortita est, dirimit Maruanos à Bohemis, & Morauiam quoque ingreditur: hisce & Hauam flauium iungemus, vt plurimum temporis paruum quidem, vbi verò exundauerit, longè lateque omnes circum agros adeo humectatione sua fecundantem, vt ab eius loci incolis haud immeritò adipis suæ foueæ nuncupetur. Porro regio hæc à diuo Methodio primum iussu Arnulphi Imperatoris ad fidem Christianam conuersa est, sub Henrico III. Imperat. circa annum Christi 895. postmodum tamen anno 1026. vnà cum Lusatia ac Silesia regno Bohemiæ attributa est. Denique regionis huius termini hi sunt. ad Orientem habet partim Hungariam, partim Austriam; ad Meridiem Austriam tantum: ad Occidentem Bohemiam; ad Septentrionem Silesiam: initium sumit ex parte Occidentis sub gradibus longitudinis.



